DE FONTIBUS ET AUCTORITATE PLUTARCHI IN VITIS GRACCHORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. X. CAL. NOV. A. MDCCCLXV.

HORA XI.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO HEINRICH,

NUMBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

M. HEYNE, DR. PHIL. PRIV.-DOC.
R. KRAFT, CAND. PHIL.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

FRATRI CARISSIMO.

Quae fides et auctoritas sit Plutarchi vitarum quas vocant parallelas scriptori, saepe viri docti diversas in partes disceptarunt. Nam opus illud cum ab omnibus, qui in antiquitate indaganda studium suum collocant, pro rerum memorabilium thesauro copiosissimo atque perenni quasi veteris historiae fonte habeatur, talis quaestio haud parvi debet aestimari neque supervacanea haberi. Quodsi justum de Plutarcho judicium proferre volumus, qui res temporibus et locis remotis gestas descripsit et fidem rebus narratis statuere, non solum testium et auctoritatum quibus nititur, sed etiam rationis qua fontibus suis usus sit, accuratam cognitionem apparet requiri. Sedulam igitur viri docti operam dederunt, ut Plutarchi fontes indagarent. Inter quos primus de fontibus, quibus Plutarchus in vitis parallelis usus est, disputavit Heerenius in commentationibus IV de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi (ex comm. soc. Gotting. t. IV p. 65 sqq. separatim expressis Gotting. 1820), quod Heerenii opusculum jam nullius fere esse pretii cum alii multi judicarunt, tum C. Fr. Hermannus, quo judice Heerenius negligentius quam par erat hac provincia functus est (ind. lectt. Marb. semest. aestiv. 1836 p. III). Recentiori tempore M. Haugius (in libro „die quellen Plutarchs in den lebensbeschreibungen der Griechen" Tubing. 1854), H. Klapp (in dissertatione quam scripsit de vitarum Plutarchearum auctoribus Romanis Bonn. 1862), H. Peter („die quellen Plutarchs in den biographien der Römer" Hal. 1865), quique de singularum vitarum fontibus commentati sunt, copiosissime de fontibus Plutarchi disputaverunt iidemque inquirunt, quo judicio Plutarchus fontibus suis usus sit. Multiplicem sane et operosam quaestionem qui perficere velit, singulas vitas debebit accurate pertractare. Quod munus cum modum excedat hujus quaestiunculae, satis visum est vitas Tiberii et Gai Gracchorum singulari examini subjecisse. Rationem autem hanc sequemur, ut

fontibus, quos in vitis Gracchorum Plutarchus commemorat vel quos conjicere licet eum adhibuisse, enumeratis et descriptis, Plutarchi narrationes cum iis conferamus, quas ceteri auctores tradiderunt, ut quatenus ille consentiat vel ab iis dissentiat quam certissime perspiciatur. Ab aliis autem prolata non tacebimus sed suis quaeque locis afferemus*).

Caput I.

Historia Gracchorum fratrum, a quibus longa bellorum civilium series initium ducit, ex duobus fontibus hauritur, Plutarchi vitis et Appiani historia de bello civili. Horum utrique cum aetate multum a Gracchis distent, ut fontes secundarii habeantur, nihilominus, prioribus fere omnibus perditis, summum iis pretium tribuimus. Quodsi Plutarchus aetate prior aliquantum discrepat ab Appiano, hujus rei causa non tam in fontium diversitate cernitur quam in utriusque proposito. De fide vero Plutarchi judicium certum ferri non poterit, nisi quos scriptores praeeuntes habuerit ex ipsius significationibus, ex rerum indiciis et scriptorum, quorum supersunt testimonia, comparatione satis eruamus. His igitur subsidiis coniunctis Plutarchum universe rem sic instituisse cognovimus, ut in narrandis historiis, ubi nihil esset controversi, scriptorem eum, qui data opera de quoque argumento exposuisset quemque omnium maxime probaret, ducem tacite sequeretur adeoque voces eius repeteret. (Cf. C. Fr. Hermanni ind. lectt. Marb. 1836 p. IV. Sintenis praef. ad Arist. et Cat. p. 16 sq. ad Them. p. 2) Tenendum est tamen, quod eadem de re rectissime judicavit Hermannus in libro, quo accurate et eleganter de fontibus vitae Periclis exposuit p. IV, his verbis: „Si quem auctorem Plutarchus nominat, non ostentandi causa facit neque ut fidem narrationi suae apud lectorem conciliet, sed aut eorum quorum veritatem ipse praestare nolit fontem indicaturus, aut ubi res in controversia posita est, judicium suum testimonio suo confirmaturus, in narrando autem, nisi quid ambigui relictum sit, vel verba aliena tamquam sua usurpare non dubitat.“ Porro de scriptoribus, quorum opera ad nos non pervenerunt,

*) Plutarchi capp. et paragr. citavi e. Bekkeri edit. h. s. LV-LVII.

idem haec subjicit: „In iis autem, quorum scripta deperierunt, multo etiam magis ancipitem et lubricam quaestionem esse apparet; quorum etiamsi quem idem quod nostrum memoriae prodidisse aliunde compertum sit, neutiquam inde sequitur, ut Plutarchus eum potius quam alium ducem in his narrandis habuerit.“

Ac primum permultos in Gracchorum vitis fontes Plutarchus appellat, sed ut certus auctor non citetur. Huiusmodi loci sunt Tib. Gr. 4,3 *τινες, πλείους ἱστοροῦσιν*; 8, 4 *οἱ πλεῖστοι λέγουσιν*; 8, 5 *ἔνιοι*, 8, 6 *ἄλλοι λέγουσιν*, 20, 1 *ἱστοροῦσιν*, 21, 2 *οἱ πλείους ὡς ἡμεῖς γράφομεν ἱστοροῦσιν*. C. Gr. 13, 2 *ἕτεροι λέγουσιν*, 13, 3 *τινὲς δέ φασιν*, 16, 3 *ὥς φασίν*, 17, 3 *ἔνιοί φασιν*. Alibi vulgarem traditionem et famam spectare videtur, usus verbo *λέγεται* vel *λέγουσιν* v. Tib. Gr. 1, 2; 10, 4; 12, 3; 14, 6. In C. Gr. 4, 3 „*ἀπομνημονεύεται*“ legitur; 11, 1; 13, 2; 13, 4; 16, 5; 17, 3; 19, 1; semel legitur „*κρατεῖ δόξα πολλή*“ C. Gr. 1, 5. At dolendum est, quod e tot scriptoribus tres tantum vel quattuor nominibus additis indicat, reliquos eosque gravissimos silentio praeterit. Sunt autem duo potissimum, Fannius et Cornelius Nepos.

C. Fannius aequalis fuit Tib. Gracchi, quocum militavit sub minore Scipione in Africa (Plut. Tib. 4, 6). Composuit latine historiam „non ineleganter scriptam“ ut ait Cicero Brut. 26, 101. 31, 118, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta. Quomodo inscriptus liber fuerit ambigi potest. Fortasse Fannius inscripsit annales, quos praeter Priscianum, Charisium Vergiliique incertum interpretem nominat etiam Cicero (de orat. II, 67. Brut. 21, 8), quamvis idem historiam appellet (Brut. 26 et 87 et in ep. ad Att. 12, 5). Alteruter enim titulus recurrit apud veteres historiae Romanae scriptores, qui historias sive rerum gestarum libros solebant annales inscribere neglecto qualicunque discrimine. Nec magis affirmare licet a quo tempore profecta sit Fannii narratio, utrum res ab urbe condita perscripserit, an Gracchorum in temporibus substiterit, cum a scriptoribus perraro commemoretur. Sed Gracchorum aetatem, quorum aequalis fuit Fannius, uberius narratam fuisse cum ratio docet, tum inde colligas, quod teste Cicerone (ep. ad Att. 12, 5) Fannii annales a Bruto in epitomen redacti sunt

et Q. Metelli oratio contra Tib. Gracchum in iis legebatur (v. Cic. Brut. 21, 81). Itaque facile suspicamur Plutarchum illius commentariis usum esse, quamquam semel tantum Fannium nominat Tib. 4, 5: „*καὶ τοῦ γε τείχους ἐπέβη τῶν πολεμίων πρῶτος* (sc. Tib. Gr.) *ὥς φησι Φάννιος, λέγων καὶ αὐτὸς τῷ Τιβερίῳ συνεπιβῆναι καὶ συμμετασχεῖν ἐκείνης τῆς ἀριστείας.*“ Porro Fannio auctori tribuenda arbitror, quae ex Metelli in Tib. Gracchum oratione deprompta leguntur Tib. 14, 3, quoniam Cicero hanc orationem illius annalibus insertam viderat, quo magis conjectamus alias orationes, quas habet Plutarchus, ex Fannii annalibus sumptas esse.

Deinde nominandus est Cornelius Nepos, qui de viris illustribus amplissimum opus composuit teste Charisio p. 113 sedecim libros complexum. Quo in opere Cornelius viros illustres cujusvis fere generis, imperatores, rhetores, poëtas, historicos Graecorum et Romanorum collegerat. Iam inter claros Romanos apud Cornelium Gracchos extitisse primum Plutarchus ostendit, de quo dicemus; deinde duo Corneliae epistolarum extant fragmenta ex Nepote deprompta, quae codices libro de historicis Latinis addicunt. In codice enim Danielino fragmentis epistolarum haec verba praemissa sunt: „Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta“; neque aliud significant quae in Guelpherbytano leguntur: „Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta“; haec autem fragmenta praecedit vita Catonis ex libro de historicis Latinis excerpta. Reliqui codices Corneliae haec fragmenta ex Cornelio Nepote excerpta referunt, at librum Nepotis, unde sumpta sint, non significant. Rectissime tamen nobis videtur demonstrasse Nipperdeius in Corn. edit praef. p. XX et spicil. crit. in Corn. Nep. p. 89, in libro de oratoribus Romanis posita fuisse fragmenta Corneliae epistolarum, quas vere Nepotis aetate superfuisse ex Ciceronis testimonio (Brut. 58, 211) intelligitur; ideoque etiam a Cornelio eas lectitatas et excerptas esse putaverim. Sed cum reliqua excerpta ex oratoribus Romanis perissent, fragmenta Corneliae post Catonem collocata sunt; itaque liber ille Cornelii pro libro de historicis Latinis habitus et cum eo commutatus est.

Cornelium Nepotem citat Plutarchus Tib. 21, 2, ubi dissentit ab eo de Licinia Gai Gracchi uxore: „*καίτοι Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ τοῦ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γάιον.*“ Quo ex loco colligitur de Gracchis locutum esse Cornelium in opere suo et a Plutarcho in vitis Gracchorum conscribendis adhibitum. Sed praeter hunc nullus locus afferri potest. Quod si recte auctore Nipperdeio conjecimus, his Gracchorum vitis illa Corneliae epistolarum fragmenta, quae Nepos ex ipsius Corneliae epistolis excerpserit, inserta fuisse, verisimillimum videtur, ex ejusdem Nepotis vitis epistolarum fragmenta ad notitiam venisse Plutarchi, qui mentionem earum facit C. Gr. 13, 2, quo loco Heerenius de font. Plut. p. 132 abusus a Plutarcho Corneliae epistolas lectas esse contendit. Verba sunt: „*ἐνταῦδα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι, μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς. ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ἠνιγμένα γεγράθαι πρὸς τὸν υἱόν.*“ Ubi oratio obliqua luculenter docet ipsas Corneliae epistolas a Plutarcho non lectas esse. Idem tamen cum pergit: „*ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν*“, ad fragmenta, quae apud Cornelium legerat, spectare videtur, quae quantopere studuerit Cornelia Gai filii animum a funestis consiliis avertere satis ostendunt (v. fr. ep. Corn. in Nipperd. spicil. crit. p. 89). Atque haec fragmenta ex ipsis Corneliae epistolis excerpta esse a Cornelio codicum auctoritas persuadet; accedit quod genuinas Corneliae epistolas superfuisse et lectas esse Cicero testatur Brut. 58, 211: „legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum; apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris.“ At vero quin genuina sint ea fragmenta cum antiquiorum nemo praeter Schottum dubitasset, primus Heerenius opusc. hist. p. 91, deinde Langius, novissime Merklinus in libro, quem de Corneliae Gracchorum matris vita, moribus, epistolis scripsit Dorpati 1844, argumenta protulerunt, quibus illa non a Cornelia sed a falsario composita esse comprobare sunt conati. Atque horum sententiam recentiorum alii secuti sunt, alii rejecerunt, alii utrum probarent an improbarent dubitarunt. Rectissime, ut equidem puto, contra illorum dubitationes auctori-

tatem fragmentorum defendit Nipperdeius, qui spicil. crit in Corn. Nep. p. 84 sqq. illorum argumenta ex ingenio et moribus Corneliae et ex oratione petita acute et subtiliter refutavit; nec tamen omnes dubitationes sustulit (cf. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 223 not. 152. ed. IV).

Porro auctorem nominat Plutarchus Ciceronem C. Gr. 1, 6: „ἱστορεῖ δὲ καὶ Κικέρων ὁ ῥήτωρ“ etc. cf. Cic. de div. I. 26. Sed quamvis permultis locis Cicero Gracchorum mentionem fecerit, semel tamen hoc uno loco Plutarchus auctorem citat; fortasse tamen ex Cicerone tacite hausit, quae narrat Tib. Gr. 2, 5, cf. Cic. de orat. III, 60. Val. Max. VIII. 10, 1. Omnino Cicerone libenter usum fuisse Plutarchum in vitis Gracchorum negamus, cum ab illo vehementer recedat in Gracchis eorumque consiliis judicandis.

His auctoribus addendum esse censet Heerenius de font. Plut. p. 93 Sisennam, Marii et Sullae aequalem, quem a Plutarcho lectitatum esse hinc concludit, quod illum τὸν ἱστορικόν nominat vita Luculli 1, 5. Argumentum istud quam leve sit apparet. Sisenna belli civilis Sullanique historiam reliquit (Vell. II, 9) et aequalibus in hoc litterarum genere praestitit, cf. Cic. Brut. 64. de legg. I, 2. Num vero Plutarchus eum adierit valde dubito, cum nulla similitudo intercedat inter Plutarchum et Sisennam.

Majore veri specie Heerenius p. 93 sq. censet, Rutilium adhibitum esse a Plutarcho in vitis Gracchorum. Rutilium notum fuisse Plutarcho docet vita Pompei 37, 3, ejusque veritatem cognitam habuit (v. Mar. 28, 5); accedit quod graece Rutilius scripserat historiam Romanam, quam laudat Athenaeus IV p. 168. 272. Num vero in vitis Gracchorum componendis Plutarchus adhibuerit Rutilium in tanta fragmentorum paucitate dubitamus.

Contra probabiliter ille censet Plutarchum in vitis Gracchorum aliquoties usurpasse Livium, quem copiose Gracchorum historiam tractasse perspicuum est ex epit. libr. 58—60. Eundem in aliis vitis saepius secutum esse Plutarchum multi vitarum parallelarum loci demonstrant. Quamquam autem Livius nusquam auctor citatur, tamen epitomarum narratio cum Plutarchea tantopere consentit, ut Livium agnoscamus. Sic Tib. 9, 5

cf. Flor. III, 14, 3 de oratione, qua Tiberius depulsam agris suis plebem miseratus est; Gai 16, 4 cf. Val. Max. IV, 7, 2 de fide Pomponii et Licinii (Val. „Laetorii“); Gai 17, 3 cf. Val. Max. IX, 4, 3 de avaritia Septimuleii, Gai 17, 2 cf. Val. Max. VI, 8, 3 de servo Philocrate. Fortasse etiam Livio auctori tribuenda sunt, quae e priori historia repetita leguntur. Tib. 4, 3 cf. Liv. 38 c. 57; Tib. 7, 2 cf. Liv. 9 c. 4 sq. Imprimis vero res mirabiles et prodigia, quae compluria refert Plutarchus in vitis Gracchorum, Livium redolent, quem in talibus multum fuisse constat. Juvat hanc suspicionem prodigiorum libellus Julii Obsequentis, quo nihil contineri quin e Livii libris excerptum sit, inter viros doctos constat (v. Julii Obsequentis prodigiorum lib. rec. et emend. O. Jahn Lips. 1853 praef. p. XVII). Quae in illius libelli c. 27 legimus (cf. Val. Max. I, 4, 2) plane consentiunt cum Plut. Tib. 17, 1 sqq.; nec differunt a Plutarchea narratione Gai 11, 1, quae leguntur in Jul. Obseq. c. 33: „grex luporum limites, qui iu agrorum divisione per C. Gracchum depositi erant, dissipavit.“ Haec igitur argumenta satis probare videntur, Plutarchum in vitis Gracchorum aliquoties inspexisse Livium, quamvis nomen eius sileat. Nec vero arbitror saepius usum esse, cum nonnullis de rebus ab eo dissentiat; v. Tib. 13, 1 cf. Liv. ep. 38 de triumviris creandis; Gai 5 cf. Liv. ep. 60 de lege judiciaria, qua de lege infra disseram. Ceterum Livii judicium Gracchis iniqum fuisse ex epitome conjecerim; Plutarchum igitur, qui Gracchis favit, parum est credibile tali testi multum tribuisse.

Quos praeterea historiarum auctores adierit Plutarchus propter ejus silentium et fragmentorum inopiam non licet indagare. Missis igitur conjecturis jam praevertamur ad orationes Gracchorum, quas collectas et editas fuisse certiores nos faciunt Cicero Brut 27, 104: „Et Carbonis et Tib. Gracchi habemus orationes“ et Plinius, qui h. n. XIII. 12 tradit Tiberii Gaique Gracchorum manus apud Pomponium se vidisse. Tiberii quidem orationes Plutarcho notas fuisse ipsius verba significant Tib. 15, 1: „*λόγον ἐν τῷ δήμῳ διεξῆλθεν, οὐ μικρὰ παραθέσθαι τῶν ἐπιχειρημάτων οὐκ ἄτοπον ἦν, ὥστε ὑπονοηθῆναι τὴν πιθανότητα καὶ πυκνότητα τοῦ ἀνδρός.*“ Deinde refert summam ejus orationis, quam Tiberius tribunus plebis, post-

quam M. Octavio intercedenti, ne lex agraria ferretur, potestatem abrogavit, ad populum, ut excusaret atrocitatem rei, habuit. Hanc tamen orationem a Plutarcho lectam esse minime pro comperto habuerim, sed ex Fannio facile haurire potuit, quem orationes in historiam suam recepisse constat. Nec minus orationem, quam inter lites habuit ob rogationem agrariam in tribunatu suo a. u. 620 exortas, de qua Tib. 9, 4 sq. tradit, dubito num ipsam viderit. Omnino mihi persuasum est Tib. Gracchi orationes in manibus Plutarchi non fuisse, quarum nullae reliquiae supersint, neque ullius praeterquam concionis in Mancinum (cf. Mart. Capella p. 147 ed Grot.) nomen extet. Sequor enim Ellendtium in hist. eloq. Rom. p. 31, cuius verba posui: „Nam quae Plutarchus habet, argumentis vero haud absimilia, verbis nihil a Graccho desumptum habent. *Αὐτόγραφα* orationum usque ad Plinii majoris tempora fuerunt; sed rara et inter paucorum amatorum manus. Nam ipse maximus librorum conquisitor haec non habuit, sed vidit apud poetam Pomponium Secundum (hist. nat. XIII, 12). Infra tamen A. Gellii tempora inopia descriptorum interisse putandae sunt; nam apud hunc constantissimum antiquitatis assectatorem multa Gai, nulla Tib. Gracchi orationum mentio est."

Venio ad Gaium Gracchum, cujus orationes diu servatas Plutarcho notas fuisso ipse declarat C. Gr. 4, 4: „*τοιαύτη μὲν ἡ πικρία τῶν λόγων ἦν αὐτοῦ, καὶ πολλὰ λαβεῖν ἐκ τῶν γεγραμμένων ἔστιν ὅμοια.*" Iam orationum fragmenta, quae in vita Gai legimus ex ipsis Gai orationibus esse desumpta satis est verisimile, praesertim cum multarum fragmenta et tituli celebrentur a Gellio, grammaticis et aliis, quorum testimonia docent, Gai orationes multo magis quam fratris Tiberii lectitatas et divulgatas fuisse. Ex oratione, qua C. Gracchus accusatus, quod sua sponte e provincia Sicilia, ubi quaestor fuerat, decedens Romam invito praetore redisset, apud censores se defendit, petita sunt quae legimus C. Gr. 2, 5: „*ἐστρατεῦσθαι μὲν γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις, ταμιεύων δὲ τῷ στρατηγῷ παραμεμενηκέναι τριετίαν, τοῦ νόμου μετ' ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος, μόνος δέ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλάντιον εἰσενηνοχὼς κενὸν ἐξενηνοχέναι, τοὺς δ'ἄλλους ἐκπιόντας ὃν εἰσήνεγκαν οἶνον, ἀργυρίου*

καὶ χρυσίου μεστοὺς δεῦρο τοὺς ἀμφορεῖς ἥκειν κομίζοντας." Posteriorem sententiam refert Gellius XV, 12, 4, qui orationem a C. Graccho ad populum in concione habitam dicit: „Itaque Quirites, cum Romam profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes rettuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt." At eadem verba in duabus C. Gracchi orationibus repetita fuisse nemo crediderit. Accedit quod apud Plutarchum parum apta sunt ad crimen, cujus accusatus erat Gaius, apud censores refellendum; apud Gellium autem prorsus quadrant ad orationis consilium, qua Gaius se bene munere functum esse demonstrat rationemque factorum suorum reddit. Itaque Gellio ex oratione ad populum habita singulos locos ipsius Gracchi verbis afferenti fidem tribuendam, Plutarchum errasse censeo, duas illas orationes et apud censores et ad populum habitas in unam conflantem. Adde quod apud Gellium Gracchus dicit biennium se in provincia fuisse, triennium apud Plutarchum, quorum illud recte se habet si annum 629/125, quo provinciam reliquit Gracchus, includit; in eadem autem oratione eandem computationem extitisse haudquaquam est verisimile.

Ad orationem vel orationes, quas C. Gracchus tribunus plebis factus a. u. 630 (*παραλαβὼν δὲ τὴν ἀρχὴν* C. Gr. 3, 2) habuit, antequam duas illas leges contra M. Octavium et P. Popillium tulisset (v. C. Gr. 4), pertinent quae Plutarchus tradit C. Gr. 3, 2 sqq, ubi breviter orationum Gai de ulciscenda Tiberii morte mentione facta sic concionantem introduxit: *ὑμῶν δ' ὁρώντων ἔφη, Τιβέριον ξύλοις συνέκοπτον οὗτοι, καὶ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐσύρετο νεκρὸς ἐκ Καπετωλίου ῥιφησόμενος εἰς τὸν ποταμόν. οἱ δ' ἁλισκόμενοι τῶν φίλων ἀπέθνησκον ἄκριτοι. καίτοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν, εἴ τις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς. οὕτως εὐλαβεῖς καὶ πεφυλαγμένοι περὶ τὰς κρίσεις ἦσαν.* Haec ad orationem in Popillium dudum alii rettulerunt, siquidem summa sententiarum et verborum concordat cum iis quae Gellius ex oratione C. Gracchi in Popillium profert XI, 13; et optime cum his fragmentis conciliatur locus

ap. Fest. s. v. „occisitantur“: „Sic C. Gracchus pro rostris in Popillium: homines liberi nunc in oppido occisitantur.“

Ex eadem oratione vel ex aliqua earum, quibus Tiberii in populum amorem praedicat Gaius vel ad ulciscendam Tiberii mortem cohortatur, conjecit H. Klapp in dissert. de vit. Plut. auctor. Rom. (Bonn. 1862) p. 31, ea hausta esse, quae C. Gracchus scripserit „*ἔν τινι βιβλίῳ*“ v. Tib. 8, 7, ut unde Tiberius reipublicae sanandae consilium cepisset, exponeret. Verba sunt haec: „*Ὁ δ᾽ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάιος ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρηνίας τὸν Τιβέριον, καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους, τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν.*“ Sed cur dixerit Plutarchus „*ἔν τινι βιβλίῳ*,“ si quidem orationem significaturus fuerit, me non intelligere fateor. Equidem assentior Merklino l. l. p. 37, qui librum argumenti historici de Tiberio fratre compositum agnovit, eumque probat etiam Nipperdeius spicil. crit. in Nep. p. 88, ad eundem librum referens, quae Cicero de div. I, 18, 36 narrat: „Tib. Gracchus (sc. pater) — nonne, ut C. Gracchus, filius ejus, sriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit?“ et infra II, 29, 62: „C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit duobus anguibus domi comprehensis haruspices a patre convocatos“ cett. Eandem narratiunculam de anguibus habet Plutarchus Tib. 1, 2 sq., sed unde fluxerit non comperimus. Itaque quominus verba illa Ciceronis „ut C. Gracchus scriptum reliquit“ ad illud *βιβλίον* Plutarchi referantur nihil obstat; cumque eadem de re dicat Cicero „C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit,“ Gaius ad M. Pomponium, quem familiarissimum ejus fuisse constat (Plut. C. Gr. 16 extr. et 17), librum illum misisse videtur. Quamquam alii Ciceronis verba „C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit“ ad epistolam referunt (v. Meyer. fr. orat. p. 249 ed alt. Klapp. l. c. p. 33 not. 1); sed nusquam Gracchorum epistolae commemorantur, neque credimus Gaium illa de narratiuncula Pomponium familiarissimum in epistola edocuisse. Unde vero libri notitiam habuerint Cicero et Plutarchus in dubio relinquimus; neuter tamen ad manum habuisse

videtur, alioquin accuratius eum memorassent et in usum vocassent.

Praeterea locus C. Gr. 12, 2 persuadet Plutarcho notam fuisse orationem Gai in C. Fannium scriptam: „*ἀντεξέθηκεν ὁ Γάιος διάγραμμα κατηγορῶν τοῦ ὑπάτου καὶ τοῖς συμμάχοις, ἂν μένωσι, βοηθήσειν ἐπαγγελλόμενος*,“ quam orationem Cicero legerat (v. Brut. 26, 100). Ex qua tamen oratione verba fluxerint, quae leguntur C. Gr. 4, 3 sq., ignoro, dubitoque num ea quae afferuntur C. Gr. 8, 1 ex oratione sumpta sint.

Hi sunt fontes omnes, quos in vitis Gracchorum deprehendi. Omnino patet his in vitis totum ex Latinis fontibus pendere Plutarchum. Ex Graecis quod semel citat Polybium Tib. Gr. 4, 3, hic Gracchorum res non attigit, fragmentum autem quod extat 13, 2 (p. 1097 Becker), non ea praebet quae memorat Plutarchus. Porro citat Plutarchus vitam Scipionis Africani prius scriptam Tib. Gr. 21, 5 et C. Gr. 10, 4, quae ad nos non pervenit.

His absolutis ad alteram quaestionis partem transgredimur, quae est de fide et auctoritate Plutarchi in vitis Gracchorum. Eam sic instituemus, ut collatis fontibus iis, qui continuam Gracchorum historiam praebent, exploremus, siquando Plutarchus ab illis dissentiat, quorum praevaleat auctoritas et cuius narratio majorem veri speciem prae se ferat. Iam de fontibus aequalium, quorum plerisque perditis pauca fragmenta supersunt, judicium facere non licet adituque intercepto nescimus, quatenus ex singulis pendeat Plutarchus. Neque plus fontibus posterioris aetatis proficimus; etenim quae de Gracchis tradunt summatim et nimia brevitate vel inter se repugnant vel rerum nexu causisque neglectis composita sunt. Horum autem qui continuam Gracchorum historiam praebent, Velleius Paterculus, Florus, Livius, tantum abest ut criticum judicium de Gracchis afferant, ut nisi Plutarcho comparato recte possint usurpari. Quodsi reliquos scriptores circumspicimus, quorum testimoniis Plutarchum dijudicemus vel suppleamus, haud infimum locum tenet Appianus, qui paulo post Plutarchum in primo librorum de bello civili Gracchorum historiam satis copiose tractavit. Scriptoris illius auctoritas eo minus spernenda est in historia Gracchorum, quod ab omni partium

studio alienus optimos fontes secutus est. Dolendum sane, quod in hac operis parte suos auctores celat; cum tamen plerumque multos eosque probatissimos adhibuerit et ad tabulas publicas, senatus consulta, inscriptiones provocet, haud falli puto, qui Gracchorum quoque historiam diligenter eum e fontibus derivasse censeat. Quae ab aliis scriptoribus post Plutarchum tradúntur, ut ab Aurelio Victore, Eutropio, Gellio, Orosio, aliis, levia sunt et minoris pretii. Quamobrem Appianum, qui post Plutarchum gravissimus auctor hujus historiae extitit, cum illo comparabimus; neque praetermitti par est Velleium Paterculum aut Livii epitomen.

Ceterum ut Plutarchi vitas Gracchorum ex aequo dijudicemus, in universum de ratione consilioque, quod in vitis parallelis scribendis sibi proposuerat, nonnulla praemittamus. Plutarchus multum in studiis philosophicis versatus eam potissimum philosophiae partem, quae ad mores spectat et observationem vitae humanae elegit summoque cum studio excoluit. Id studium cum ad historiam transtulisset, omissis iis quae nullam vim habent ad mores formandos, in singularibus historiis virorum clarorum vitam atque mores exposuit ea mente, ut exemplis virtutis propositis aequales admoneret, erigeret eorumque animos ad virtutem et humanitatem incenderet. Sed hac historiae tractandae ratione Plutarchus in reprehensionem multorum incurrit, qui veritatem atque fidem ejus addubitarent. Sane nimium fecit, quod ad solos mores formandos historiam rettulit. Quo factum est ut et temporum rationes negligeret, utpote quae nihil ad ingenii morumque cognitionem valeant, et statum reipublicae parum curaret, ac plus operae in privatis quam publicis clarorum virorum rebus describendis consumeret. Itaque horum imagines, quod etiam in Gracchorum vitis usu venit, ex domestico usu et consuetudine exprimere studuit et humanae naturae imbecillitatem in mitiorem partem convertere aliorumque vitia ac perversitates excusare maluit quam vituperare ac perstringere. His praemissis ad id quod propositum nobis fuit redeamus.

Caput II.

Convenit ad Plutarchi consilium, quod vitis Gracchorum nonnulla de familia fratrumque diversis moribus atque ingenio praemisit (c. 1 et 2), virtutibusque duobus fratribus communibus paucis commemoratis (c. 3), ad Tiberii fratris majoris natu vitam describendam transit. Atque ea quoque, quae c. 4 legimus de Tiberii cooptatione in collegium augurum sponsalibusque cum Claudia Appii Claudii filia factis, deinde de Tiberii sub Scipione in Africa militantis fortitudine et audacia ejusque erga comilitones benevolentia, consentanea sunt cum Plutarchi consilio; refert modo ea ad enucleandam Tiberii juvenis morum ingeniique praestantiam. Eadem mente narrat expeditionem a Mancino contra Numantiam infeliciter gestam, cui quaestor interfuit Tiberius (c. 5—7); oblataque occasione Tiberii consilium et virtutem aeque ac modestiam et obedientiam erga ducem praedicat quantaque innocentiae existimatione inter ipsos hostes fuerit, lectori demonstrat. His narratis foedus cum Numantinis, Tiberii opera factum, quam iniquo animo tulerit senatus exponit; contra plebem laetam de eo Tiberiique causae faventem ostendit (c. 7). Deinde (c. 8, 4 sqq.) Tiberii tribunatum ejusque rogationem agrariam describit. Ut justum de ea feratur judicium atque intelligatur, quid propositum fuerit Tiberio in rebus publicis moderandis, causas quibus commotus sit Tiberius ad rogationem ferendam exponit. Itaque ad priorum temporum memoriam descendens de ortu agri publici a nobilibus occupati, de lege Licinia contra divitum avaritiam lata, de Italiae statu agit (c. 8, 1—4). Breviter quidem et summatim haec sunt narrata nec ea qua par erat diligentia, plane tamen consentiunt cum Appiano (b. c. I, 7), iisque quae alibi hac de re legimus comprobantur (cf. Sall. Jug. c. 41. Cic. de leg. agr. III, 4. Sicul. Flacc. de condit. agror. ed Goes. p. 2, Hygin. ibid. p. 205), ut brevitatem egestatemque Plutarcheae narrationis doleamus, fides autem atque veritas minime sit dubitanda. In hac ergo mala totius Italiae conditione summam causam quaerit Plutarchus Tiberii rogationis ferendae, ut verba illi descriptioni praeposita clare demonstrant (v. c.

7 extr.). Hoc illo quoque libello a Plutarcho infra (Tib. 8, 7) citato comprobatur, in quo Tiberium per Etruriam iter facientem, cum et terrae solitudinem et mercenarios ac barbaros agros colentes vel pecora pascentes vidisset, primum ad tales conditiones reformandas meliusque constituendas animum intendisse Gaius exposuisse dicitur. Praeterea Plutarchus causas, quibus ad rogationem ferendam commotus sit Tiberius dicit Diophanis oratoris et Blossii philosophi adhortationes (Tib. 8, 4) et ipsius Tiberii honorum et gloriae studium eruditione matris Corneliae incitatum (c. 8, 5). Atque per illos viros Tiberium incitari potuisse ad consilium suum exsequendum, jam Nitzschius „die Gracchen und ihre nächsten vorgänger" p. 265 probabile fecit, et quam magnam in filiis educandis curam posuerit Cornelia omnes sciunt. Contra non juste judicant Cicero et Velleius, quorum ille non sine partium studio Brut. 27 haec scripsit: — „sed eorum alter (sc. Tib.) propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa republica est interfectus" (cf. Brut. 33, harusp. resp. 20); hic II, 2, 1 haec habet: — „Tib. Gracchusquo quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se pactum infirmari, nunc similis judici vel poenae metuens discrimen tribunus plebis creatus-descivit a bonis." His causis a Cicerone et Velleio allatis contradicit Appianus (c. 11 init.) neque consentanea sunt cum iis, quae de moribus Tiberii ejusque via ac ratione legis agrariae perferendae comperimus (c. 9. sqq.). Viris enim summa virtute et auctoritate consultis (Tib. 9, 1 cf. Cic. academ. II, 5, 13) legem agrariam rogavit Tiberius, qua ditiorum hominum Liciniam legem defraudantium avaritiae conatus est occurrere (9, 1). De ipsa lege pauca memorat Plutarchus, qui omissis iis, quae ad rerum scriptorem pertinent, neque legem plane enarravit, neque quo momento fuerit historico lectori demonstravit, sed tantum affert, nunquam mitiorem ac moderatiorem legem latam fuisse, quae eos, qui supra modum agros publicos possiderent, non modo remissa legitima multa sed potius pecunia damno restituto (*τιμὴν προσλαμβάνοντας*), agros reddere jusserit (Tib. 9, 2). Hanc vero compensationem nullius scriptoris testimonio firmari video. Contra narrat Appianus, Tiberium

iis, qui lege cogerentur, ut agros redderent, quos supra modum possiderent, satis magnam compensationem perpetuam atque immunem agri publici quingentorum jugerum possessionem iisque, qui liberos haberent, singulis ducenta quinquaginta jugera praeter ea pollicitum esse. Sic enim puto interpretanda esse verba Appiani (11 extr.): — *τὴν ἐξαίρετον ἄνευ τιμῆς κτῆσιν ἐς αἰεὶ βέβαιον ἑκάστῳ πεντακοσίων πλέθρων, καὶ παισὶν, οἷς εἰσὶ παῖδες, ἑκάστῳ καὶ τούτων τὰ ἡμίσεα.* — Nec tamen eam Plutarchi compensationem refellendam arbitror. Sunt quidem, qui ex Appiani silentio argumentari velint, compensationem illam, quam ex jure nemo postulare potuerit, omnino non rogasse Tiberium, cum et ipse potuerit praevidere, fore ut illa compensatio in summas difficultates incurrat et reipublicae immani sit sumtui eamque ob causam ipsi legi agrariae magis obsit quam prosit (v. Appian übersetzt von G. Zeiss t. II p. 16 not.). At vero talis compensatio, qualem lege Tiberii constitutam fuisse Plutarchus dicit, non prima fuit in republica Romana semelque jam facta erat priori tempore. Constat enim a senatu P. Lentulum praetorem urbanum in agrum Campanum, qui a. 543/211 ager publicus factus erat quemque privati sine discrimine passim possederant, missum esse c. a. 589/165, ut privatos agros pecunia pnblica coëmeret et in publicum recuperaret. Quae a Cicerone (de leg. agr. II, 30, 82) et Livio (42, 19) breviter narrata nunc fragmentis quoque Grani Liciniani (p. 15 ed. Bonn.) plane comprobantur. Quod si ita est, haud vero absimilis videtur compensatio, quam una cum lege agraria Tiberium rogasse auctor est Plutarchus, qui eam modo commemoravit, ut legem agrariam quam mitissime conceptam ostenderet atque crimen acerbitatis excusaret. Eidemque consilio respondet, quod causas ab adversariis contra Tiberii legem prolatas (cf. App. 10. Cic. de off. II, 23. Flor. III, 13) tacet, ipsum autem Tiberium suae partis causas longiore oratione explicantem facit (c. 9, 4 sq.). Deinde tres illae conciones, quibus de Tiberii lege decretum est, enarrantur (Tib. 10—12 cf. App. 12). In prima cum M. Octavius Tiberii collega in tribunatu summis precibus divitum persuasus ac fere coactus legi recitandae intercederet, Tiberius propter intercessionem vehementer incitatus legem suam tam leniter conceptam abrogavit

aliamque promulgavit „ἠδίω τε τοῖς πολλοῖς καὶ σφοδρότερον ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας“ (Tib. 10, 2), qua ii, qui contra priores leges agros publicos possiderent, jussi sunt ex possessione recedere. Hac lege acriore Tiberius priorem legem renovavit, sed omissis lenioribus ac moderatioribus addidamentis (Plut. Tib. 9, 2. App. 11 extr.). Nihil hac de lege acriore legimus apud Appianum, qui modo affert, Tiberium de intercessione Octavium objurgasse concionemque in posterum diem distulisse. Hoc tamen Appiani silentium minime nos cogit, ut fidem hac de re abrogemus Plutarcho, cum nulla causa nisi fontium, quos inspexerit, auctoritas excogitari possit, cur hanc legem acriorem commemoraverit. Neque assentiri possum Nitzschio, qui l. l. p. 441 coll. p. 305 hanc legem acriorem intercessione Octavii provocatam ad sola ducenta quinquaginta illa jugera, quae Appianus (c. 11 extr.) dicit sed Plutarchus omisit, pertinere conjicit et ad eandem legem acriorem etiam verba epit. Livii 58: „promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager qua privatus esset“ referenda esse censet (p. 441); cum nihil nos cogat, ut intercessione Octavii commotum putemus Tiberium ad legem illam rogandam, quam Livius dicit, contra rectius atque probabilius videatur accipere, tum demum, cum in difficultates gravissimas triumviri legem agrariam exsecuti incurrerent, commotum sive coactum esse Tiberium, ut legem illam tulerit (cf. Mommsen röm. gesch. II, p. 88 ed. III). Quae deinde narrat Plutarchus (Tib. 10, 4—7) de certaminibus inter Tiberium et Octavium de lege agraria in foro exortis, de constantia et temperantia ab utroque in iis probata, de compensatione Octavio, cui lex agraria imminebat, ab ipso Tiberio oblata, quam male ac perverse attulit Plutarchus, ut Tiberii aequam voluntatem lectori ostenderet, denique de ratione a Tiberio inita, ut rogationem legis perferret, haec omnia praeterit Appianus, qui prima illa concione narrata statim ad alteram transit, ubi magna suorum caterva stipatus Gracchus apparuit (App. 12). Cum in hac quoque concione partes non consentirent Tiberius, ut Plutarchus refert (c. 11), Manlio et Fulvio viris consularibus suadentibus, in senatum se contulit, sed locupletibus auctoritate in eo praevalentibus

nihil confecit. Deinde in concionem reversus, cum nihil inexpertum omisisset nihilque precibus effecisset, a tribunatu collegam Octavium amovere studuit. Itaque in posterum diem concione prolata, cum incoepto dimoveri nequiret Octavius, Gracchus ei tribunatum populi suffragiis abrogavit (c. 12). Haec omnia fere eadem legimus apud Appianum, qui tribunatu Octavio abrogato verbis „*διαλαθὼν ἀπεδίδρασκε*" (sc. Oct.,) complectitur quae latius exposuit Plutarchus 12, 4, 5.

Atque hanc Tiberii rationem legis perferendae, qua reipublicae leges ex antiquissimis temporibus sacratas offendit, injustam ac violentam jam veteres improbarunt, immo etiam solidam rebellionem ac seditionem vocarunt et ipsius auctoris interitum ab ea repetierunt (cf. Cic. pro Mil. 27, 72 de legg. III, 10, 24. Brut. 25, 95). Ipse Plutarchus eam „*ἔργον οὐ νόμιμον οὐδ' ἐπιεικές*" dicit (Tib. 11, 2), et quam vehementer ea plebis animos perculerit clare ac dilucide ejus verba pronuntiant c. 15, 1. Nihilo minus longiore oratione Tiberium atrocitatem rei excusantem facit (c. 15, 2—5), nec quidquam mali contra rempublicam molitum esse Tiberium, cum tribunatum Octavio abrogaret ideoque ejus rationem legis perferendae improbandam quidem, sed non condemnandam esse explanare studet.

Lege perlata tres viri ex lege creantur ipse Tib. Gracchus cum Gaio fratre et Appio Claudio socero (Plut. Tib. 13, 1).

Apud Appianum, antequam triumviri creantur, in Octavii locum plebis tribunum factum esse legimus Q. Mummium, quem Mucium nominat Plutarchus quemque post triumviros creatos plebis tribunum factum esse scribit (c. 13, 2). Sed nescio an recte Mucius legatur in ejus exemplaribus et in Orosio 5, 8 Minucius; varietatem istam librariorum culpa provenisse suspicor. Quae deinde legimus apud Plutarchum de difficultatibus Tiberio legem agrariam exsequenti a locupletibus et senatu paratis (Tib. 13, 2—4), de funere familiari cuidam Tiberii facto (13, 4, 5), de lege a Tiberio rogata, ut pecunia testamento regis Attali populo Romano relicta iis, qui Sempronia lege agrum acciperent, divideretur (14, 1, 2), de controversiis inter Tiberium et senatum inde excitatis, de Tito Annio, quem non tam eloquentem quam in rogando respondendoque promptum et argutum fuisse ideoque vehementer Tiberio institisse scribit

(14, 3—6), de his omnibus nihil refert Appianus. Sed Livium ex parte quidem his de rebus disseruisse satis perspicuum est ex epitome lib. 58, qua Plutarchi narrationem in universum firmari videmus. Inter leges a Tiberio latas enumerat Livius legem, qua constitutum est, „ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager qua privatus esset,“ quam omiserunt Plutarchus et Appianus quamque non recte, ut supra docui, Nitzschius ad illam acriorem legem (Plut. Tib. 10) referendam esse censuit. Deinde mentionem fecisse Livium legis de pecunia regis Attali promulgatae et controversias hac de lege inter Tiberium et senatum memorasse epitome docet. Num vero rogationes enarraverit Livius, quibus alterum tribunatum petens Tiberius plebem sibi conciliare studuerit, ut Plutarchus tradidit (Tib. 16, 1), ex epitome dijudicari nequit. Sed Dio Cassius (fragm. 88) earum mentionem fecit et eam, qua judicia senatoribus eriperentur equitibusque transferrentur, quam Scipio Africanus dissuasisse dicitur (Macrob. Sat. 2, 10), etiam Florus III, 17 testatur, qui utrique Graccho legem judiciariam vindicare videtur his verbis: „Judiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem.“ Itaque Plutarcho hac de lege fidem non derogaverim, ut fecit Ahrens „die drei volkstribunen Tib. Gracchus, Drusus u. Sulpicius“ p. 29, qui Tiberium legem judiciariam promulgasse contra Plutarchi auctoritatem negat. Omisit has leges Appianus, qui triumviris summo cum gaudio plebis nec minore cum dolore locupletum creatis (c. 13) Gracchum sibi ab inimicorum multitudine atque senatus invidia metuentem, ne potestate deposita reus fieret, iterum in annum sequentem tribunatum petisse senatumque hoc non sine summo reipublicae detrimento futurum judicantem ejus conatus via quacumque impedivisse docet (c. 14). Quae deinde refert Appianus de comitiis valde turbulentis multo uberius atque accuratius tractata sunt quam quae apud Plutarchum (Tib. 16, 2) de iis leguntur. Sed prorsus discrepant ea quae haec comitia sequuntur. Apud utrumque Gracchus comitiis in posterum diem prolatis plebis auxilium implorans forum incedit (Plut. Tib. 16, 3; App. 14); discedit apud Plutarchum protectus a plebe per noctem domum ejus custodiente et prima luce adversis auspiciis, Blossio vix eum commo-

vente, in Capitolium scandit (Tib. 17). Contra Appianus Gracchum modo tristem et afflictum exhortationibus suorum plane immutatum ostendit et nocte sociis collectis signoque cum iis composito mane aedes in Capitolio eum obsidentem facit (App. 15); cumque divites obsistant, quominus suffragia de Graccho ferantur, signo dato ad pugnam concurritur caedeque facta ipse Tiberius cum multis suis interficitur (App. 15. 16). Contra apud Plutarchum Fulvius Flaccus nuntium affert, mortem Tiberii a divitibus in senatu constitutam esse; cumque Tiberius hoc suis indicans dexteram capiti imponat, adversa nobilitas in foro praesens diadema Tiberium poscere clamitans in senatum properat et consulem postulat, ut servet rempublicam et tyrannum vi compescat Qui cum tergiversetur, Scipio Nasica pontifex maximus senatores invitat, ut se sequantur; quem mox secuta nobilitas in Capitolium pergit, plebis coetus ibidem discutit et deinde Tiberius cum trecentis suorum subselliorum fragmentis et fustibus occiduntur (Plut. Tib. 18, 19; cf. Vell. II, 3).

Ex hac comparatione cognoscas, magnam illam diversitatem inter Plutarchi narrationem et Appiani non tam in rebus gestis ab utroque narratis, quam in explicandis iis atque explanandis consistere. Plutarchus enim in tam tristi exitu imparatum ac magis innocentem ostendit Tiberium, contra in partem adversariam crimen malitiae ac vis congerit (cf. Tib. 20, 2). Sed cavendum est, ne nimiam hac de re fidem habeamus Plutarcho, quem saepius docuimus id potissimum egisse, ut in Tiberii consiliis et incoeptis summam aequitatem infuisse ostenderet atrocitatemque rerum ab eo contra senatum gestarum quantum fieri potuit excusaret. Contra Appianus, qui brevius et angustius hanc rem tractavit, paratum Tiberium ad dimicandum ac minus innocentem fecit ejusque narratio, ut opinor, propius vero accedit. Nam obstinate et acriter nec sine ullo odio atque invidia Tiberium rem suam agitasse ipse Plutarchus infitiari nequit (cf. Tib, 10, 5 sqq. 11, 2; 13, 5; 16, 2), tanto que in discrimine, utriusque partis animis tam graviter commotis et exacerbatis, Tiberium nullo resistente consilium suum sese exsecuturum sperasse, nec sociis ad omnes casus instructis in concionem venisse, difficile est creditu. In tanta tamen aequalium fontium inopia certius hac de re dijudicari nequit.

Fontes autem aequales ipsos inter se distulisse valde suspicor, cum in rebus tam turbulentis ac cruentis eorum quoque, qui ipsis rebus interfuerunt indicia inter se admodum contraria eademque postea in libros historicos translata fuisse facile sit intellectu. Ideoque extremam vitae Tiberii partem ab Appiani narratione aliquantum differe haud miror, cum utriusque narratio exorta videatur ab auctoribus, qui ipsis rebus interfuerunt easque literis mandarunt. Atque Appiani auctor eorum consilia ac conatus, qui cum plebe stabant, melius cognovisse videtur quam eorum, qui erant partis senatus, cum Appianus, qui supra jam disceptationes inter tribunos in comitiis habitas (cf. App. 14) accuratius perscripserat, etiam consilia a Tiberio sociisque ultima nocte capta exposuerit et omnino majore cum constantia ac firmitate Tiberium consilium suum exsequentem fecerit, quam Plutarchus; qui auctori suo altercationes debuit in curia ante Tiberii caedem factas, quas accuratius exscripsit; sicuti etiam ea, quae de Fulvio Flacco et de errore legimus, quo discrimen adductum est, ex eodem fonte hauserit. Plane ergo consenserim Nitzschio, qui l. l. p. 442 hac de re haec verba facit: „Uns will es nicht anders bedünken als hörten wir hier die freilich verarbeiteten relationen zweier augenzeugen u. theilnehmer an den ereignissen, die im ganzen mit ruhe u. wahrheitsliebe den ereignissen folgten" et p. 443: „man glaubte nur zwei männer zu hören, die dasselbe in verschiedener stimmung erlebt, die auch unter verschiedenen ansichten referirten, aber doch dieselben hauptfacta festhielten. Nur in den stürmischen letzten tagen wichen sie von einander ab."

Sequenti c. 20, 2 occisorum cadavera non sepulturae data sed in Tiberim projecta esse narrat Plutarchus consentiens cum Appiano (b. c. 16 extr. cf. Vell II, 6). Deinde inquisitiones describit in eos, qui a Gracho steterant, habitas, quas omisit Appianus, quamvis quaestiones post Gai interitum in ejus amicos habitas infra commemoret. Ex Appiani vero silentio non sequitur, ut fidem dubitemus Plutarchi, cum etiam ex Valerio (IV, 7, 1) constet, a senatu consulibus mandatum esse, ut in Gracchanos more majorum animadverterent. Nec tamen multos attigisse videntur illae quaestiones, cum pauca de iis nobis sint nota. Plutarchus autem diligentius eas perscripsit, ut

Tiberii ejusque partis causae lectorem conciliaret adversariorumque crudelitatem atque duritiem patefaceret. — Quae de morte Diophanis oratoris et C. Villii tradit (c. 20, 3) nusquam alibi leguntur. Quaestionem autem Blossio Cumano coram consulibus factam (Plut. 20, 3 sq.) Cicero quoque et Valerius commemorant, ita tamen, ut Plutarchus, qui Nasicam in ea quaestione loquentem facit, falsa tradidisse et in errore versatus putandus sit. Quaestioni enim, quam dicit Plutarchus, Rupilius et Popillius Laenas consules adfuerunt, ut Cicero docet (de amicit. 11) et Valerius (IV, 7, 1). Atque illi consules fuerunt a. 622/132 (cf. Fischer zeittafeln s. a. 622); Nasciam vero, pontificem maximum jam a. 621/133 (v. App. 16), a senatu, qui valde ei timebat de plebe propter Tiberii caedem vehementer odio atquo ira incensa, in Asiam praetexta causa missum esse ipse Plutarchus memorat (Tib. 21, 3); cumque jam a. 623/131 ei Licinius Crassus in pontificatu successisset, qui eo anno consul et pontifex maximus a senatu cum exercitu adversus Aristonicum in Asiam missus est, ut ex Livii epit 59 comperimus, Nasica a. 622/132 mortem obisse putandus est, cumque aliquamdiu jam in Asia commoratus, οὐ μετὰ πολὺν χρόνον, ut ait Plutarchus, mortuus sit, jam ante eas quaestiones a. 622/132 Romae Rupilio et Laenate coss habitas Nasicam ex Italia abisse conjecerim. Cui opinioni consentaneum est, quod Cicero (Lael. 11) et Valerius (IV, 7, 1) non Nasicam, quem Plutarchus, sed Laelium in ea quaestione cum Blossio disputantem faciunt. Cf. Nitzsch. p. 329 not. 3.

Idem Licinius Crassus, quem supra diximus a senatu consulem et pontificem maximum a. 623/131 in Asiam missum esse, post Tiberii mortem in ejus locum triumvir creatus erat, ut auctor est Plutarchus (Tib. 21, 1); sed non diu munere functus esse videtur, cum an. 621/133 peracto triumviri munere abdicarent. Appianus eum ignorat, qui minus accurate, Tiberio caeso et Appio Claudio defuncto, Fulvium Flaccum et Papirium Carbonem Graccho minori triumviros additos esse tradit (App. 18). — Quae extremo capite (21) de Scipione Africano ejusque de morte (vit. Gai c. 10, 4 sq.) Plutarchus tradidit, aliorum scriptorum testimoiis satis comprobantur. (cf. App. 19. Vell. II, 4. Liv. ep. 59. Val. Max. VI, 2, 3. Aur. Vict. 58).

Satis mihi haec omnia, quae de vita Tiberii exposuimus, evincere videntur, multum quidem in ea sed non absolute valere auctoritatem Plutarchi, qui summa quidem rerum composuit, ut ex comparatione cum aliis scriptoribus imprimis cum Appiano vidimus eodemque fere ordine, si extrema excipias, res narravit, ita tamen, ut postpositis iis, quae ad rempublicam pertinent, ea potissimum elegerit, quae ad illustrandos Tiberii mores apta putavit, eodemque consilio ipsius Tiberii contra senatum et rempublicam res gestas in mitiorem partem convertere studuerit. In universum autem constat, diligentissime Plutarchum fontes inspexisse, nec minus Appianum, cujus narratio strictior quidem et angustior, sed certior et interdum probabilior videtur. Sed ad firmandum hoc judicium atque definiendum, quatenus fontes aequales uterque adierit, accuratius in vitam Gai inquiramus oportet.

De vita Gai Gracchi fere eadem valent, quae de Tiberii vita exposuimus; non continuam Gai Gracchi historiam Plutarchus composuit, sed ea tantum elegit, quae apta sibi visa sunt, ad Gai mores adumbrandos, quo factum est, ut multa ad historiam pertinentia omiserit, alia non ea qua par erat diligentia composuerit, quin etiam ita perturbarit ac miscuerit, ut perdifficile sit, ea quae refert Plutarchus cum iis comparatu, quae ab aliis scriptoribus de Gaio nobis sunt tradita. Ex iis, quae de Gaio ante primum tribunatum legimus (c. 1—3), nihil comperimus de oratione, qua legem C. Papirii Carbonis de tribunis plebis reficiendis a. 623/131 suasit (cf. Liv. ep. 59. Charis. p. 143, 116, 119, 132); neque mentionem fecit orationis, qua legem Penni de peregrinis dissusit a. 628/126 (Festus p. 286. Cic. de offic. III, 11). His orationibus et oratione pro Vettio, familiari suo, qua primum apud plebem nomen et famam meruit (Plut. Gai 1, 3), opinio illa orta esse videtur, insatiabili cupiditate favoris populi inflammatum fuisse Gaium multoque studiosiorem causae populi Tiberio (Plut. Gai. 1, 5), cui opinioni (ibid.) resistit Plutarchus his verbis: „*οὐκ ἔχει δ'οὕτω τὸ ἀληθές, ἀλλ' ἔοικεν ὑπ' ἀνάγκης τινὸς μᾶλλον οὗτος ἢ προαιρέσεως ἐμπεσεῖν εἰς τὴν πολιτείαν*“ et ad firmandum hoc judicium somnium illud Gai affert (1, 6), quod narrat Cicero de divin. I, 26. Atque Gaium adhuc adolescentem a rebus publi-

cis quantum potuerit se abstinuisse, Plutarcho (1, 1) crediderim; sed prorsus et in omne tempus animum abducere voluisse a rebus publicis gerendis ac sola necessitate coactum eas subisse, ut opinatur Plutarchus (1, 5 sq.), non affirmaverim, cum parum hoc respondeat Gai moribus et ingenio orationibusque, quas modo citavi, quibus aperte professus est Gaius, se non discedere a mente et consiliis fratris atque abhorrere ab optimatibus, satis refutatur.

Quae c. 2 legimus de Gai quaestura in Sardinia ejusque de praestantia ac virtute in ea probata solus Plutarchus tradidit, qui orationis quoque, quam Gaius ex Sardinia sponte sua Romam reversus apud censores habuit, nonnulla reliquit (c. 2. 5). Haec supra jam exposuimus mixta esse a Plutarcho ex oratione apud censores habita, quam praeter Plutarchum etiam Cicero (orat. 70) et Charisius (I p. 61) commemorant, et ex oratione ad populum in concione habita, quam dicit Gellius (XV, 12). Conjunxit haec fragmenta apud Gellium et Plutarchum H. Meyerus Orat. Rom. Fragm. p. 231 ed alt. secutus Madwigium, qui de ea re haec tradidit in Opusculis p. 85 not. 2: „Hujus orationis quae a Cicerone et a Charisio apud censores appellatur, eadem verba, quae Plutarchus graece, Gellius XV, 2 latine posuit, pluribus adjectis. Ibi ad populum in concione habita dicitur. Censores concionem advocabant et dare doterant.“ Nusquam vero in concione censores reis jus dixisse invenimus, nisi quod legimus, post damnationem saepius coram populo causam ejus quaesitam esse suffragiisque populi Romani saepenumero censorias subscriptiones esse deletas, si reus ad populum provocaret crimineque se liberaret (v. Plut. Cat. maj. 17, 5; Flamin, 19, 1 sq.; Liv. IX, 30; Cic. pro Cluent. 43; cf. Göttling gesch. d. röm. staatsverf. p. 340). In eadem causa fuisse videtur Gaius, quem cum ex Sardinia redisset censores, quia sponte sua provinciam deseruisset, adesse jusserunt. Hoc saepius factum esse invenimus ad notam censoriam constituendam (v. Gell. 4, 20. Liv. 24, 18. Vell. 2, 10. cf. Lange röm. altert. I p. 680 ed. alt.). Hic orationem habuit Gaius, cujus nonnulla apud Plutarchum leguntur, quamque Cicero et Charisius commemorant, ut supra diximus. Qua de re cum multi dubitarent, cur apud censores accusatus fue-

rit Gaius, haec tradidit Madwigius in Opusc. p. 85: „C. Gracchum, quum ex Sardinia, in qua pro quaestore fuerat, redisset, apud censores accusatum esse Plutarchus dicit et se oratione defendisse. Id fieri vix potuit nisi in equitum recognitione et transvectione, in qua notissimus est hic accusandi mos. Gracchus itaque, cum a. 628 quaestor factus in senatum venisset, a. 630 equum publicum habuit." At vero illam equitum recognitionem, quacum false Madwigius conjunxit equitum transvectionem quotannis Idibus Quintilis celebratam (v. Lange röm. altert. II, 81 sq.), semper cum censu quinto quoque anno habito conjunctam fuisse et post eum factam esse scimus (v. Liv. 29, 37; 43, 16; 44, 16). Proximum autem lustrum a. 629/125, Gaio in Sardinia absente, a Cn. Servilio Caepione et L. Cassio Longino censoribus, qui eo anno magistratum inierant conditum erat, ut ex Liv. epit. 60 scimus (v. Fischer zeittafeln a. 629); census itaque eodem anno habitus erat atque illa equitum recognitio jam facta, cum C. Gracchus 630/124 Romam rediret; ideoque in errore mihi videtur versari Meyerus, qui Madwigium secutus in illa equitum recognitione C. Gracchum ignominia notasse censores equumque publicum ei ademisse censet (Orat. Rom. fr. p. 230). Neque assentiri possum Madwigio, qui C. Gracchum quaestorem factum a. 628 in senatum venisse censuit, cum constet, quaestores magistratum gerentes modo in senatu adesse jus habuisse et munere functo secundum legem Oviniam proxima senatus lectione in senatum receptos esse (Lange röm. altert. I p. 744 sq. II. 325). Gracchus itaque a. 628 quaestor factus, cum a. 630 Romam redisset, proxima senatus lectione in senatum a censoribus erat legendus. Hoc vero nota illa censoria prohibuit, cum censores quemque ignominia notatum in senatus lectione praeterire possent (v. Liv 27, 11. 34, 44. 38, 28). Contra eam ergo notam censoriam, cum nihil profecisset oratione apud censores habita, oratione ad populum in concione se defendit et purgavit; „*οὕτω*, ut ait Plutarchus 2, 4, *μετέστησε τὰς γνώμας τῶν ἀκουσάντων ὡς ἀπελθεῖν ἠδικῆσθαι τὰ μέγιστα δόξας.*" — Itemque C. Gracchum participem conjurationis Fregellanae reum factum orationem pro se dixisse narrat Plutarchus (cf. Aur. Vict. 65); qua oratione suspicione exstinguata innocentiaque probata tri-

bunatum petivit Gaius (v. Plut. c. 3). De hoc et altero tribunatu C. Gracchi ejusque rogationibus inter eos latis ita inter se discrepant veterum scriptorum relationes, ut de singulorum fide in tanta aequalium fontium inopia perdifficile sit dijudicatu. Atque illa scriptorum discrepantia imprimis ad tempus et ordinem legum, quas Gracchus promulgavit, pertinet. Quae ut cognoscatur ac perspiciatur ex singulis scriptoribus, qui latius hanc rem tractarunt, ordinem legum hic apponam. In primo tribunatu hunc ordinem tradidit

Plutarchus	Appianus
c. 4: *εἴ τις ἄρχων ἄκριτον κ. τ. λ.*	
c. 5: *νόμος κληρουχικός*	
— — *στρατιωτικός*	
— — *συμμαχικός*	
— — *σιτικός*	c. 21: *σιτικός*
— — *δικαστικός*	
c. 6; — *ἀποικικός*	
— — *ὁδοποιικός*	

Velleius II, 6.	Livius 60.
de civitate Italicis danda	lex frumentaria
de agris dividundis	lex agraria quam et frater
ne quis plus quam D jugera etc.	
de coloniis in provincias deducendis	
de novis portoriis	
lex judiciaria	l. judiciaria
— frumentaria	

In altero tribunatu

Plutarchus	Appianus
c. 8: *ἀποικίας εἰς Τάραντα καὶ Καπύην κ. τ. λ.*	c. 22: *νόμος δικαστικός*
	c. 23: — *ὁδοποιικός*
	ἀποικικός
Λατινικός	*Λατινικός*
	συμμαχικός

Velleius	Livius
—	de coloniis in Ital. et Carth.

Hanc discrepantiam inter scriptorum relationes cum ab ipsa fontium, quos quisque secutus est diversitate, tum a ratione, qua quisque historiam composuit, repetendam esse arbitror. Itaque de singulorum scriptorum auctoritate sine accurata testimoniorum, quibus nituntur et rationis ac modi, quo iis usi sunt, cognitione judicium ferri nequit. In tanta autem fragmentorum quae supersunt egestate, quantam supra docuimus, perrara sunt vestigia, quae secuti ad justum probabilemque finem pervenire possumus.

Atque hoc loco aptum videtur, accuratius in ea inquirere, quae ea de re protulit Nitzschius, qui l. l. p. 450 sqq. ex nonnullis fragmentis, quae extant orationis a Graccho „de legibus a se promulgatis" habitae de tempore et ordine rogationum C. Gracchi conjecturam fecit et inde scriptorum fidem atque auctoritatem statuit. Orationem eam, ex qua fragmenta sunt desumpta, Gaius, antequam leges suas promulgasset, in concione habuit, ut causas cur necessariae reipublicae plebique utiles essent explicaret. In loco, quem Scholia Bobiensia p. 365 ed. Orelli exhibent, haec dicit Gracchus: „Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tiberi Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset: haud scio an lubentibus a vobis impetrassem." Haec verba censet Nitzschius tum demum dici potuisse a Graccho, cum tribuniciis comitiis non petens, sed magno plebis studio tribunus iterum in sequentem annum factus et denuo incitatus esset, ut plebis studia adjuvaret. Ex aliis quae extant ejusdem orationis fragmentis (Gell. 9, 14; 10, 3), in ea de Latinis ac sociis Gaium locutum esse conjicit, sicuti ex titulo „de legibus a se promulgatis" totam legislationem Gaium hac oratione complexum esse concludit. Idcirco relationem Appiani, qui in alterum C. Gracchi tribunatum plurimas leges transtulerit, fide dignissimam judicavit. Hunc igitur auctorem secutus argumentatur, Velleium dedita opera legum ordinem corrupisse Liviumque id egisse, ut fontes tam valde inter se discrepantes quantum potuerit conciliaret; Plu-

tarchum vero adeo perturbasse leges, ut justus earum ac principalis ordo ex eo perspici nequeat. At vero, quamvis summo acumine haec omnia sint explicata, illa tamen quae supra attulimus orationis fragmenta minime nos cogere possunt, ut in primo jam tribunatu Gracchum leges suas promulgasse negemus. Sed promulgatas leges non omnes pertulit ac peregit, ideoque, ut promissa posset exsolvere, tribunus iterum a plebe factus est, quod verba quoque Appiani (c. 21 extr.) indicare videntur, quae haec sunt: „εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι“ quae verba sic interpretatus est Pighius III p. 59: „Si tribunus opus habeat ad praestanda promissa ejus potissimum rationem proximis comitiis habeto.“ Hoc proposito non multum me a vero aberrare puto, si conjicio, Appianum in legibus conscribendis id potissimum egisse, ut quando leges suas tulerit ac peregerit Gracchus demonstraret, quare in alterum tribunatum plurimas transtulit; contra Plutarcho in enumerandis legibus id solum propositum fuisse, ut omnino quas leges Gracchus promulgarit doceret, quare in primo jam tribunatu fere omnes latas esse dicit. Quod si tenemus et Appianus certus auctor nobis est habendus nec Plutarcho omnis fides abroganda; cum ex iis, quae supra exposuimus, Gracchum in primo jam tribunatu leges suas promulgasse, promulgatas autem non omnes pertulisse ac peregisse, sed tribunum plebis iterum factum hoc agitasse verisimillimum sit. Atque de legum tempore et ordine vix puto certius posse dijudicari, cum ex Velleii quoque verbis, quae legibus enumeratis II, 6 addit: „quin etiam alterum continuavit tribunatum“ concludi nequeat, omnes leges in primo tribunatu latas esse, nec quae in primo, quae in altero tribunatu latae sint perspicias. Neque magis Livii epitome (lib. 60), quae nimis breviter composita est, hac in re pernoscenda adjuvamur. — Hactenus de tempore et ordine legum C. Gracchi.

Jam pauca de nonnullis legibus, quas Plutarchus commemoravit, exponamus, cum in omnes quas scimus leges accuratius inquirere non sit hujus loci, sed continuae hujus aetatis historiae. Ceterum jam alii de legibus C. Gracchi accurate et ea qua par est diligentia scripserunt (v. Pighii annal. t. III p. 52 sqq., Goettling. gesch. d. röm. staatsverf. p. 435 sqq, Nitzsch. d. Gracchen etc. p. 400

sqq.). Itaque hoc loco satis sit, omissis aliis eas tantum eligere leges, quarum cognitionem vel soli Plutarcho auctori debemus, vel quas aliter ac scriptores, quos supra citavi, descripsit. Ac primo affero legem de libertate civium, ut si quis magistratus de capite civis Romani injussu populi judicasset, de ejus capite populi esset animadversio; quam legem praeter Ciceronem (pro Cluent. 55, 151; pro Rab. 4, 12, pro dom. 31, 82, de leg. III, 11, 26) nonnisi Plutarchus commemorat his verbis (c. 4): „εἴ τις ἄρχων ἄκριτον ἐκκεκηρύχοι πολίτην, κατὰ τούτου κρίσιν διδόντα τῷ δήμῳ." C. Gracchus contra Popillium, qui in consulatu a. 622/132 crudeles quaestiones de sociis Tiberii Gracchi exercuerat, hanc legem tulit, ut praeter Plutarchi testimonium (ibid.) etiam titulus docet orationis, quem exhibent Gellius (XI, 13) et Festus (p. 201). Popillius non exspectato judicio in exilium sponte abiit, ut ibidem narrat Plutarchus (cf. Cic Brut. 34). — Deinde solo a Plutarcho commemoratam video legem militarem (c. 5): — „ὁ δὲ (sc. νόμος) στρατιωτικὸς ἐσθῆτά τε κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων καὶ νεώτερον ἐτῶν ἑπτακαίδεκα μὴ καταλέγεσθαι στρατιώτην." (v. Goettling l. c. 442, Mommsen II, p. 109).

Hae sunt leges omnes, quas soli Plutarcho auctori debemus; ceterarum, quas vel breviter commemoravit Plutarchus, vel accuratius descripsit ut legem viariam (c. 7), apud alios quoque scriptores mentionem fieri videmus, ita ut plane eorum testimonio Plutarchi narratio comprobetur. De lege sola judiciaria prorsus dissentit Plutarchus ab aliis omnibus scribens, Gracchi legem voluisse, ut trecenti equites cum senatorum pari numero judicarent (c. 5, 2). Contra apud Appianum (c. 22) legimus, C. Gracchum iterum tribunum plebis factum, conciliata sibi plebe, mox equites etiam, qui medium inter senatum et plebem tenebant ordinem, a senatu divulsisse et obnoxios sibi nova lege fecisse, qua judicia publica propter largitiones acceptas infamia ad equites Romanos a senatoribus transtulerit. Atque cum Appiano plurimi consentiunt auctores (cf. Vell. II, 6. Tac. annal. XII, 60. Flor. III, 13, 17. Cic. in Verr. I, 13. Liv. ep. 70). Sunt itaque, qui Plutarchum Gracchi legem cum lege Livia confudisse velint (v. Fischer zeittaf. s. a. 123),

quam Livius Drusus trib. pl. a. 663/91 tulit, ut aequa parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent (v. App. 35, Liv. ep. 71). Jam vero praeter Plutarchum alius extat locus Liv. epit. 60 ab Appiani aliorumque discrepans narratione, quem truncum atque mendosum libri veteres manuscripti praebent, quique in veteri codice Susiano (v. Pigh. ann. II p. 60) sic legitur: — „Tertiam (sc. tulit legem), qua sequestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet, ut sexcenti equites in curiam subrogarentur, et quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexenti equites ut trecentis senatoribus admiscerentur; id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet.“ Hic locus quamvis Plutarcho non minus qnam aliis auctoribus adversetur, tamen ad Plutarchi narrationem propius accedit, cum magis indicet, legem tertiam non de transferendis judiciis, sed de senatu augendo judiciorum causa Gracchum protulisse. Idcirco in tanta hujus narrationis varietate, quam apud auctores invenimus, cum Pighio mihi videtur verisimillimum accipere, Gracchum opprimendi senatus cupidine percitum bis terve legem judiciariam diverse conceptam promulgasse; idque maxime cum iis, quae supra de Gracchi rogationibus exposui, consentaneum videtur. Ac primum promulgavit legem, quae apud Livium extat, ut ad trecentos, qui tunc erant senatores, sexcenti equites in curiam subrogarentur. Qua lege senatus et optimatium summo studio rejecta, aliam proposuit legem, quam Plutarchus habet, ut trecenti equites cum trecentis senatoribus judicarent. Atque has duas leges in primo tribunatu Gracchus promulgavit. Cui alteri legi cum non minus adversaretur senatus, tandem plebis et equitum Romanorum auxilio legem pertulit de transferendis a senatu ad solos equites Romanos judiciis, quam legem in altero tribunatu posuit Appianus.

Sic facillime expediendam arbitror difficultatem, quae ea de re scriptorum variis narrationibus efficitur. Quae vero de hac lege judiciaria et omnino de legislatione C. Gracchi, ut apud Plutarchum legitur, exposuimus, satis demonstrant, Plutarchum in conscribenda legislatione noluisse id agere, ut leges omnes accurate enumeraret eorumque ordinem traderet, sed modo id tendisse, ut Gracchi studium erga populum doce-

ret ejusque innocentiam, consilium, industriam omnibus in rebus probatam in lucem proferret. Cui consilio adeo indulsit, ut parum satisfaciens officio historici nullam paene habuerit rationem periculorum reipublicae ex Gai rogationibus abundantium, et quatenus e jure ac lege egerit Gracchus explicare omiserit. Itaque licet iis, quae Plutarchus his de rebus tradidit, fides sit statuenda, multum tamen abest, quin accuratam ex iis atque plenam legislationis Gracchi cognitionem accipiamus, ideoque ad acquirendam eam ceterorum quoque scriptorum relationes quae extant inspiciamus oportet. Hactenus de legislatione C. Gracchi.

Restat, ut quae reliqua sunt Plutarchi vitae Gai percenseamus, quorum summa c. 8—11 haec est: Senatus Gracchi rogationibus jam diu haudquaquam resistere conatus ac denuo lege de coloniis deducendis et imprimis lege de civitate Latinis danda vehementer perterritus, ut tandem Gracchi audaciam atque potentiam paene regiam frangeret, decrevit, quaedam praeter aequum et bonum plebi indulgere studiaque hominum a Graccho divertere atque ipsum suis armis oppugnare. Idcirco diligenter egit cum Livio Druso, collega Gracchi in tribunatu eique persuasit, ut Gracchi perniciosis legibus intercederet et alias ipse de civium sociorumque commodis non minus placituras ex senatus auctoritate ferret (Gai. 8, 3 sqq.). Cui senatus voluntati ita obsequebatur Livius, ut intra breve tempus plebem senatui reconciliaret et ipse auctoritatem sibi plebisque gratiam conciliaret (Gai 9 et 10 init.). Haec dum aguntur Rubrius Gai collega legem tulit de restituenda Carthagine a Scipione deleta et ipse Gracchus hoc munus sortitus, consenescente cum tribunatu suo favore plebis, in Africam profectus est et in solo deletae Carthaginis adversis auspiciis rem peregit. Certior autem factus de incusationibus Romae a Livio sibi absenti et Fulvio allatis et comitiis consularibus instantibus, paulo post Romam est reversus (Gai 10 et 11). — Quae si conferimus cum Appiani narratione (c. 23 et 24) non tam in universum ab ea discrepare quam in singulis rebus differre intelligimus. Sic multas deducendas proposuisse Gracchum colonias refert Appianus (c. 23 cf. Liv. ep. 60. Vell. II, 6); sed duas tantum colonias in Tarentum et Capuam deducere voluisse

Gracchum dicit Plutarchus (Gai 8, 3 cf. Aur. Vict. 65). Sic soli Plutarcho uberiorem debemus cognitionem legum Drusi, quibus Gracchum superare sibique plebem conciliare studuit; affert legem, quam ille tulit, ut duodecim coloniae deducerentur, in quas singulas tria civium Romanorum milia mitterentur; ut vectigal agris lege Sempronia divisis dividendisve impositum plebei remitteretur; porro legem militarem de tergo sociûm Latini nominis, ne quempiam ex iis in exercitu virgeis caedere liceat (Gai 9). Haec omnia tacet Appianus, qui contra accuratius exposuit, legem illam Rubriam latam esse de colonia Carthaginem deducenda (cf. Liv. ep. 60), et ipsum Gaium triumvirum creatum cum Fulvio Flacco eo profectum esse, ut coloniam designaret. Adscripsisse autem eos in coloniam sex milia, quamquam minor numerus lege definitus fuisset, ut sic quoque plebem magis obnoxiam sibi redderent, Romamque inde reversos illos sexies mille colonos ex tota Italia excivisse (App. 24). Porro dissentit a Plutarcho Appianus legi de civitate Latinis danda addens senatusconsultum, quod mandavit consulibus, ut edicerent, ne quis nisi qui jus suffragii haberet, in urbe vel intra qnintum ab urbe lapidem maneret comitiorum diebus, quibus leges a Graccho promulgatae rogarentur (App. 23). Quod senatusconsultum post Gai reditum ex Africa factum legimus apud Plutarchum (Gai 12). Quae ibidem tradidit Plutarchus de Gracchi studio, quo leges suas promulgatas apud populum contra Fannium consulem defenderit, quem ad modum se erga plebem ac socios gesserit, de repulsa in petitione tribunatus tertii, porro de constantia et patientia, qua repulsam et inimicorum obtrectationes atque convicia tulerit, de adhortationibus ab amicis et fortasse ab ipsa Cornelia matre factis (Gai 13), haec omnia prorsus silentio praeterit Appianus, qui tamen distinctius quam Plutarchus causam ultimi discriminis inde repetit, quod senatus adversis auspiciis commotus comitia indixerit, quibus lex illa de colonia Carthaginem deducenda abrogaretur (App. 24. cf. Oros. 5, 12. Flor. 3, 15. Aur. Vict. 65), quod Sallustii quoque verba indicare videntur (bell. Jug. 42). —

Satis mihi hac comparatione videtur demonstrari, Appiani narrationem non ea refutare, quae apud Plutarchum his de rebus leguntur, sed modo ea complere et vice versa ipsam

iis compleri. — Quod vero jam supra vidimus in vita Tiberii, Plutarchum dubitatione quadam excusare studuisse Gracchum, ubi sentit, contra rempublicam eum agere, id etiam in Gai vita extrema luculenter apparebit.

Si enim Appianum sequimur auctorem vir turbulentus nobis est habendus C. Gracchus, qui ab ipsa seditione ac tumultu non abhorrens per vim et armis id quod voluit impetrare studuit. Ex improviso quidem necem inlatam esse Antyllo et Appianus narrat (c. 25) et Plutarchus (qui scripsit Antyllio Gai 13). Quo facto apud Appianum (c. 25) Gracchus et Flaccus consternati, amissa rei gerendae opportunitate suam quisque domum recurrunt eodemque sua quemque caterva comitatur. Reliqua plebs tamquam in publica calamitate forum occupat. Consulum alter, qui in urbe aderat, Opimius armatorum manum prima luce in Capitolium convenire jubet et senatum per praecones convocat (App. 25). His ita dispositis senatus Gracchum et Flaccum ad causam in curia dicendam evocat. At illi cum suis armatis Aventinum montem occupant et frustra de pacis conditionibus per legatum Quintum Flacci filium cum senatu agunt (App. 26). Contra e Plutarchi narratione comperimus, C. Gracchum sola Fulvii Flacci sociorumque adhortatione commotum invitumque eo adductum esse, ut vim consuli atque senatui pararet. Eodem die, quo leges rogarentur, mane cum suis armatis una cum senatus parte Capitolium occupat. Concione vero incauta Antyllii nece frustrata plebeque consternata Gracchus invitus propter necem suos increpat domumque redit; Opimius plebem ad iram incitat (Gai 13). Sequenti c. 14 etiam de tempore differt Plutarchus ab Appiano, qui proximo die post necem Antyllii Gracchum Aventinum montem occupantem et cum senatu agentem facit; contra Plutarchus hic diem interposuit. Narrat enim, quo modo in funere Antyllii postero die facto senatus se gesserit; commemorat senatusconsultum, quod mandavit Opimio, ut tyrannos compesceret, et quam diverso animo Gaius et Fulvius instantia exspectaverint describit. Sequenti demum die mane Fulvium cum suis et Gracchum, quem frustra precibus retinere studet Licinia uxor, in Aventinum ascendere videmus (Gai 15). Legimus deinde (Gai 16), quem ad modum C. Gracchus per legatum Quintum Flaccum

de pace cum senatu egerit et ipsum Gaium jussu Opimii in senatu apparere voluisse sed a Fulvio aliisque prohibitum fuisse. Atque ea quae in curia his de rebus acta sunt copiosius Appiano tradidit Plutarchus, qui etiam distinctius descripsit vires Opimii consulis, quem ipsum cum suis Gracchanos in Aventino monte aggredientem facit (Gai 16).

Ex hac comparatione facile cognoscas, Plutarchum operam dedisse, ut a Graccho crimen vis ac malitiae averteret et invitum eum ac modo necessitate coactum seditionis participem vel ejus auctorem fuisse ostenderet. Quapropter cum dubitatione quadam atque indulgentia agitantem facit Gracchum, quem strenuum et acrem in consilio suo persequendo docet Appianus; et mollitie atque inconstantia praeditum eum demonstrat, quem constanter ac tenaciter in proposito suo perseverantem vidimus. Nec aliter depingit Gracchum ante exitum; quem abstinuisse a pugna ac tristem in aedem Dianae se recepisse scribit, ubi ipse mortem sibi consciscere voluerit. Sed Pomponium et Licinium familiarissimos eum prohibuisse et ad fugam impulisse; ipsos usque ad pontem sublicium Gracchum sectatos ibi impetum instantium hostium inhibentes cecidisse (Gai 16, 4, 5 et 17, 1 cf. Val. Max. IV, 7, 2, qui pro Licinio habet Laetorium). De Gracchi exitu varias prolatas fuisse opiniones ipse testatur Plutarchus (Gai 17, 3), qui refert, Gaium cum servo Philocrate trans Tiberim in lucum Furiarum (Furinae ait Aur. Vict. 65) fugisse ibique servo suo (quem Euporum nominant Vell. II, 6, Aur. Vict. 65 cf. Val. Max. VI, 8, 3) jugulum praebuisse (cf. App. 26, Oros. 5, 12). Quae Gai 17, 4 sqq. legimus de Fulvi ejusque filii nece quamque contumeliose caesorum cadavera sint tractata, porro de quaestionibus in omnes, qui a Graccho steterant, habitis, de fano Concordiae in foro ab Opimio exstructo, haec alii quoque auctores referunt (cf. App. 26; Sall. Jug. 31 et 42; Vell. II, 7; Cic. pro dom. 38; Val. Max. VI, 3, 1); itemque quae de Opimio consule comperimus, qui quaestiones in Gracchanos exercuit et postea legatus ad Jugurtham regem missus pecuniam ab eo accepit nomenque suum ac famam inquinavit et inhonestam aetatem egit, ut auctor est Plutarchus Gai 18, 1, haec

Sallustii testimonio satis firmantur (bell. Jug. 16), nec refutantur Ciceronis judicio non sine partium studio facto (pro Sext. 67, in Pis. 39).

Gai c. 18, 2 legimus, statuas Gracchis paulo post interitum positas esse, et cap. 19, Corneliam, quae constanti ac generoso animo gravissimum malum tulerit, cujusque summa fuerit apud aequales existimatio propter magnanimitatem, humanitatem, liberalitatem, aetate provecta Miseni habitasse consuetudine conjunctam cum amicis et frequentatam multis a viris doctis et Graecis. Haec soli Plutarcho auctori debemus.

Sic de hac quoque vita Gai videmus idem valere judicium, quod supra jam tulimus de vita Tiberii. Liquet enim, in universum Plutarchi vitam Gai cum Appiano aliisque, qui his de rebus scripsere, auctoribus consentire; nec minus e narratione Plutarchi in singalas res saepe ingredientis et copiose accurateque eas describentis licet conjicere, multos non modo sed etiam aequales fontes in vita Gai componenda nostrum inspexisse. Atque hos fontes aequales ipsos inter se distulisse satis superque, si alia omittamus, docet discrimen, quod inter Plutarchi et Appiani narrationes de exitu Gracchorum et Gai et Tiberii invenimus. Praeter eam vero fontium discrepantiam maxime Plutarchi propria ratio historiae scribendae, qua ea potissimum elegit, quae apta sibi visa sunt ad Gracchorum mores illustrandos, altera neque minina fuit causa multarum varietatum inter Plutarchi narrationem et Appiani. Quo factum est, ut nonnulla Plutarchus omiserit, quae apud Appianum leguntur et vice versa Appianus silentio praeterierit, quae accuratius perscripsit Plutarchus. Omnino vero cum parum Plutarchi interesset, ut plenam Gracchorum historiam componeret, multa non ea qua par erat diligentia perscripsit, ut Gai legislationem, alia, quae accuratius erant explicanda, breviter modo vel summatim tractavit; a quaestionibus denique ad jus vel ad rempublicam pertinentibus prorsus abstinuit.

Nihilominus Plutarcho meliorem atque ampliorem Gracchorum eorumque consiliorum cognitionem debemus, cum ae-

qualibus fontibus perditis ea, quae a scriptoribus posterioris aetatis de Gracchis nobis sunt tradita, nimis breviter et summatim sint composita et ipse Appianus, secundum Plutarchum gravissimus et uberrimus historiae Gracchorum auctor, multa ex historia sua excluserit, quorum cognitionem nulli nisi Plutarcho auctori debemus.

THESES.

I.

In Catulli c. 68 versus 149—160 sunt suppositi.

II.

Verbis Sallustii bell. Jug. c. XLII: — „sed bono vinci satius est quam malo more injuriam vincere" reprehensionem Gracchorum contineri censeo.

III.

Verba Val. Max. II, 8, 7: — „itaque et Nasica Ti. Gracchum et G. Metellus Opimi factiones maesti trucidarunt" cum Foertschio (Progr. Numb. 1864 p. 9) sic emendo: „itaque et Nasica Ti. Gracchum et Gai gemellas Opimius factiones maesti trucidarunt."

IV.

Post v. 82 secundi Iliadis libri nonnullos intercidisse puto versus; versus autem 83 interpolatus esse videtur.

V.

Soph. Ant. v. 23 sqq. sic refingendos puto:

Ἐτεοκλέα μὲν σὺν δίκῃ κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε, τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.

VI.

Plerique rerum Germanicarum scriptores Lamberto in Henrici IV historia nimiam tribuerunt auctoritatem.